DE LUPO.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT ET UNA CUM THEMATIS

DIE XVIII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLX.

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS HEIMANN

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SURCIPIENT:

IACOBUS MOLL, MED. ET CHIRURG. DD.
FRANCISCUS KESSEL, DR. MED. ET CHIRURG.
HENRICUS GREVEN, DR. MED.

BONNAE
FORMIS FRIDERICI KRUEGERI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO SUMME VENERANDO

GUILELMO BUSCH

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI CLINICI CHIRURGICO-OPHTHALMIATRICI IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA DIRECTORI

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE LUPO.

Quamquam minime dubitandum est, quin medici antiquissimorum iam temporum morbum, quem nos plerumque lupum vocamus, cognitum habuerint, vix tamen in scriptis eorum quidquam invenitur, unde quis eum significari certo coniicere queat. Ac quidem apud Hippocratem eosque qui eum secuti sunt medicos de hoc morbo frustra certius quidquam desideres, cum et ipsi in describendis potissimum morbis cutaneis minus accurate atque dilucide loqui soleant. Galenus hunc morbum herpetem exedentem (ἐσθιόμενον) appellat eumque speciei herpetis tertio loco ponit. Quod porro Arabes et inter eos Avicenna potissimum formicam nominare solent, nihil aliud esse, quam hunc morbum, haud difficile contenderim. Celsus (de med. V, 28, 2) in carcinomatis eum adnumerat neque eum ut nonnulli suspicati sunt sacri ignis nomine appellat, quippe hoc nomine ulcera alius generis significari voluerit. Paulus Aeginetas duas herpetis species describit, quarum altera ἕρπης κεγχριας (herpès miliaire) nominatur; alteram ἐσθιόμενον i. e. ulcerativum appellatam eundem morbum esse ac nostrum lupum verisimillime videatur.

Insequentibus deinde temporibus ab omnibus fere auctoribus, qui de morbis cutaneis scripserunt, huius morbi mentio fit eique ab alio aliud nomen impositum est, ex quo numero haec tantum exempli gratia enumerabo. Saeculo

decimo sexto morbus noster „Noli me tangere“ nominatus esse videtur, quamquam ea significatio apud nonnullos scriptores ad carcinomata potius referenda est. Ceterum permulti auctores, qui hunc morbum in herpetis genere reponunt, ex suo quisque arbitrio varias eius invenerunt appellationes, uti verbi causa: herpes ferus, exedens, depascens, serpiginosus, malignus, ferox; ab aliis ulcus obambulans, ferinum, phagedaena nominatur. Neque minus variae significationes sunt, quas apud diversis populis diversas sermo vulgaris huic morbo tam foedissimo et atrocissimo imposuit, quem nostra lingua „fressende Flechte, Hautwolf,“ Francogallica „dartre ulcerée, phagedénique, vive“ denotare solet. In libris quibusdam ultimi et iam pridem obliterati temporis, qui de arte medica agunt, sub voce lupi complures morbi cutanei iique diversissimi intelliguntur. Paracelsus enim hoc vocabulo ulcera tantum aversi lateris crurum designavit. Quem nos hoc nomine vocamus morbum primum apud Willanum, Batemanum, Plumbeum ita adpellatum reperimus, qui quidem in scriptis suis primi accuratius eum atque uberius descripserunt. Batemanus, quem in exstruendo suo systemate morborum cutaneorum Willani praeceptoris sui disciplinam universe secutum scimus, quique opus praeclari illius viri imperfectum suo studio atque opera supplevit et ad finem perduxit, lupi morbum in tuberculis, septimo systematis sui ordine commemorat. Brevis eius morbi descriptio nihil quidem de causa, sede, affectionis significatione in medium profert, tamen ex ea quomodo morbus curanda sit satis perspicue cognosci potest. Eandum autem viam rationemque, quam ingrediendam praescribit, nostra quoque aetate tanquam unicam atque rectissimam comprobatam esse constat, licet ille auctor ullum se medicamentum novisse omnino neget, quo prospere morbo resisti quove sanari possit. Sed dubitari nequit, quin Batemanus medicamenta intrinsecus tantum adhibenda significari voluerit, neque aliud quid-

quam sub huius morbi sanatione intellexerit, nisi quod fieri non posse satis liquet: cutem morbo correptam in pristinum habitum conditionemque physiologicam restituendam.

Plumbeus in appendice operis sui de compluribus lupi casibus fusius disputat, quo loco etiam de aliis aliquot morbis cutaneis, quos cum ceteris sub eandem definitionem componere nequit, singillatim atque copiosius loquitur. Verum enimvero anatomiam, aetiologiam, decursumque usitatum huius morbi, quem ferocissimum incurabilemque appellat, non magis cognita habet, quam pristinarum aetatum medici.

Optime contra Francogalli meruerunt, ut qui primi diligentius in hunc morbum inquisiverint deque eo acutius et diffusius disseruerint. Lupi enim descriptiones, quae in Rayeri, Aliberti, Cazenavii operibus continentur, universae summa doctrina summoque huius rei usu nituntur. Sed imprimis horum virorum inquisitiones tantum therapiae adiumentum attulerunt, ut nostra adhuc aetate optimam eam solamque adhibendam diiudicemus.

Neque minus de morbi sede, frequentia, causa, deque iis quibus a similibus morbis cutaneis ut verbi causa ab elephantiasi, cancro, acne rosacea, aliis differunt, crebris iam inquisitionibus actum multaque momenta minime levissima constituta sunt. Sed descriptio anatomica apud illos nulla est. Magnae texturae mutationes, quas lupus efficere solet, scriptoribus illis Francogallicis supra commemoratis descriptionum divisionumque causa atque initia fuere.

Itaque Cazenavius et Schedelius tria huius morbi genera distinguunt, prout aut superficies tantum aut interiora cutis deleta sunt, aut partes circumiacentes diffuse intumuerunt. Attameu harum distinctionum primas duas vanas esse atque irritas, quoniam uterque gradus initio, processu, exitu omnino non differant neque cognosci possit ubi quandove alter desinat alterque incipiat, unicuique nostrum perspicuum est. Alibertus autem, qui hoc morbo pro momentis aetiologicis

disposito lupum idiopathicum, scrofulosum, venereum distinxit, in morborum cutaneorum systemate suo naturali tertium genus dermatosium suarum herpeticarum sub nomine „ἐσθιόμενος“ induxit. Cuius generis duas species constitui voluit, quarum altera ἐσθιόμενος terebrans adpellata nares sibi sedem eligere magnamque ibi vastitatem inferre soleat, altera ἐσθιόμενος ambulans lupo serpiginoso et exfoliativo respondeat.

Itaque haud alienum a re putamus hoc loco nonnullos scriptores enumerare, qui accuratius in hunc morbum inquisiverunt eiusque cognitionem libris subtiliter conscriptis adaugentes in illorum sententiis magis minusve innituntur. Ex quo numero imprimis commemorandi videantur Bidou, Ure, Büchner, Duchesne-Dupare, Baumès, Gibert, Wilson. E grege auctorum Germanicorum, qui disquisitionibus de morbis cutaneis diligentissime institutis bene meruerunt, eorum tantum mentionem faciemus, quorum scripta cognoscendo praecipue lupo profuerunt.

Fuchs hunc morbum in familia „scrofulosae“ posuit, cum statuerit nihil eum aliud esse, quam significationem morbi scrofulosi, unde lupus exortus sit. Itaque eum ad syphilidem aut ad carcinomata esse referendum omnino negat. In disponendis lupi speciebus partim cum Aliberto et Rayero consentiens, partim ab omnibus dissidens quattuor huius morbi species constituit; ac primum quidem lupum exedentem, quo nomine principales duas distinctionis Cazenavii partes (l. qui détruit en surface et en profondeur) complectitur. Putat enim ex ipsa corporis parte morbo infecta pendere superficiesne an interior facies deleatur, unde etiam intelligi posse has morbi significationes iniuria varias eius species haberi. Deinde alteram speciem lupum excorticantem denominat, quae species mitissima natura idem est ac noster quem vocamus lupum exfoliativum. Tertiam morbi speciem lupum tumidum constituit omnium curatu difficillimum, qui quidem ut Cazenavii

dartre rongeante avec hypertrophie constitutionem scrofulosam torpidam siguificare contenditur. Quem denique Fuchsius in quarto divisionis suae loco reposuit lupum exuberantem, nihil aliud est, quam ulcera scrofulosa cutis, quibus extremae potissimum corporis partes infici solent. Sed quattuor illas lupi formas revera nequaquam accurate distingui, immo uno eodumque tempore in uno aegroto observari posse et ipse Fuchsius profitetur. Rosenbaumius, qui scriptis suis de cognoscendis morbis cutaneis bene iam meruit, affectionem glandularum cutis cum aucta secretione reclusisque ostiis coniunctam lupum appellavit. Morbus vero principalis et ipsi scrofulosis esse videtur, quae nonnunquam arctioribus finibus circumscripta affectis tantum corporis partibus apparere solet. Prout igitur syphilis, impetigo, carcinoma accedunt tres lupi species distinxit, ac quidem primam lupum scrofulosum idiopathicum, qui cum lupo ceterorum scriptorum consentiens varie ut supra diximus comparere solet. Alteram lupi speciem lupum scrofuloso-syphiliticum, tertiam lupum scrofuloso-impetiginosum appellat. Ultima species, quam ex turbato systemate uropoetico exoriri putat, nisi in hominibus exactae iam aetatis observata non est. Quarta denique illius divisionis pars lupus scrofuloso-carcinomatosus est, qui plerumque faeiem sibi sedem eligit. Ab his quattuor speciebus lupi Rosenbaumius complures affectiones cutis glandularum faciei seiungendas existimat, licet ad verum lupum eas esse referendas satis liqueat. Itaque pseudolupum sive atrophiam glandularum sebacearum constituit, quam partim lupus exfoliativus ceterorum auctorum, partim lupus excorticans sine tuberculis (Fuchs), contra pseudolupum quem vocat hypertrophicum lupus tuberculosus cum hypertrophia complectitur.

Sed mirum quantum huius morbi cognitionem Blasius adauxit. Quamquam enim et ipse et Hebra maximus ille dermatopathologus commutationes anatomicas et microscopi-

cas minus notas atque tractatas habuerunt, tamen nisi observatione mutatarum formarum extranearum primi naturalem dederunt atque perspicuam huius morbi divisionem. Itaque Blasius tres morbi species totidemque formas distinxit; quibus lupus procedere solet. Earum autem coniunctio haec est, ut in uno eodemque aegroto non semper forma inveniatur et initii et processus solius, neque porro cuique initii formae certa procedendi forma respondeat; denique ut variae illae formae vicissim transeant. Lupi initum aut tubercula, ut plerumque fieri solet, aut pustulae impetiginis pustulis simillimae, aut rubrae maculae significare solent. Hebra contra hasce lupi maculosi et nodosi species proponit: 1. l. exfoliativus ubi epidermide desquamata iactura substantiae fieri solet tumoresque coaequati locos depressiores relinquere possunt. 2. l. hypertrophicus, ubi volumen eius partis in qua nodi apparent, nova massa exsudata valde augetur. 3. l. exulcerans, ubi massa exsudata suppuratione diffluit nascentiaque dilabi liquide cognoscitur. Deinde Hebra pro aggregatis singulis nodis lupum herpiginosum — Aliberti ἐσθιόμενον obambulantem — commemorat, in quo collocatio nodorum circularis est vel semicircularis.

II. DE SYMPTOMATOLOGIA.

Facile igitur intelligi potest morbum cutaneum quem lupum vocemus tam multis tamque variis et incipiendi et procedendi modis apparere, ut definitio cuilibet casui accommodata constitui omnino nequeat. Neque tamen eo minus omnes fere auctores, qui de hoc morbo egerunt, plus minusve feliciter operam dederunt, ut certissimis eum finibus

circumscriberent. Ex quo definitionum numero hanc habes unde quod imprimis eius morbi proprium sit facile dinoscas. Initium sumit ab inflammatione cutis, quam plus minusve intensive plerumque chronice procedentem saepissime aut multae maculae separatae vel confluentes, rubrae, durae, dolore quidem carentes sed prurientes, mordentes, pro massa exsudata cutem adaequantes, aut noduli vel nodi nucis avellanae magnitudinem habentes significare solent. Praeterea autem fieri potest, ut ille inflammationis processus tanquam infiltratio texturarum diffusa atque inflammata appareat. Deinde Blasius aliam quandam morbi speciem distinxit, in qua inflammatione cutis extante pustulae nascuntur. Neque vero ea res ullius momenti est, praeterquam quod inde intellegitur lupum etiam deficiente hyperaemia atque inflammatione oriri posse. Ceterum illud adhuc monendum videatur tubercula qualia in lupi morbo excitentur eadem quae nos hoc nomine vocemus tubercula omnino non esse, immo utraque valde inter se discrepare. Iampridem observatum est regionem iis corporis partibus, quas sedem sibi lupus in variis suis apparendi speciebus elegerit adiacentem incipiente eo vel procedente plerumque intumescere, turgere rubrumque ducere colorem, ac quidem ita, ut extensio tumidarum partium cutis revera multo maior videatur; manus plerumque medio in tumore durum locum sentit satis accurate circumscriptum.

Quae initia morbi per longum temporis iam subesse, gradus primae hyperaemiae deminui, superficies exulcerata vel pustulis obtecta cicatricem contrahere, abscessus epidermidis loci infecti ipsaque infiltratio minui potest nullis omnino commutationibus in parte morbo affecta relictis. Sed hic prosper lupi eventus rarissime aegroto cuiquam contingere solet; immo plerumque morbus cicatrices cum magna substantiae iactura coniunctas relinquit. Quae vero commu-

tationes in parte cutis morbo infecta cernuntur, diversersissimae sunt atque valde singulares.

Restat denique, ut singulas quibus incipere lupus soleat species accuratius describamus. Ac primum quidem eam exponemus, qua rarius morbum illum comparere scimus: lupum exfoliativum (l. non exedentem Rayeri; esthiomène serpigineux s. ambulant, qui détruit en surface Aliberti, Cazenavii et Schedelii; der oberflächlich zerstörende Lupus). Initio morbi aut maculae oriuntur circulares, ovatae, dolore vacuae, et noduli rubri vel rutili, in quorum superficie perpetuo squamulae ex cute decedunt, ut assidue aut panniculis epidermidis vel parvis vel maioribus, candidis, satis firme inhaerentibus, aut pulvere furfuraceo obtecta sit. Quae squamulae dum a cute resolvuntur non solum duri loci et tumores evanescunt, verum etiam pars cutis morbo affecta ceteris partibus circumiacentibus depressius collabitur. Huius partis superficies plerumque subcaerulea, levis, splendida, paullum modo dolens esse solet. Cum vero aliquo loco exfoliatio desiit, rubor paullatim evanescit eumque deinde cutis aspectum praebet, quo notae ustionis similem eam esse omnes fere scriptores consentiunt. Dum autem morbus hunc in modum uno loco procedit, proxime alii inflammationis noduli aut maculae nascuntur, ex quarum superficie pariter squamulae decedunt itemque cicatricem trahere solent. Itaque haec lupi species per longum tempus arctioribus finibus circumscripta tenetur. Saepenumero autem fieri potest, ut brevi magnae cutis partes morbo corripiantur, qui quoquoversus via sinuata vel curvata se extendit (l. serpiginosus Hebrae). In ea parte, quam haec lupi forma sedem sibi eligit, cutis evanescit, in fundamento locorum morbo affectorum vel nodorum (Martin) exfoliatione et resorptione iactura substantiae fit, unde proprius ille faciei aspectus exoriri quaeque insanabilis esee solet. Quae res in naso potissimum et in oculis observari potest. „Car-

tilago narium undique mediam in partem contracta, nares primores obtusiores et breviores, ipsi nares angustiores nasusque imus compressus videtur; in palpebris ectropiae nascuntur, quae saepe tantae sunt, ut margo ciliaris usque ad marginem orbitalem retractus appareat itaque tota pars extranea palpebrae conspici iam nequeat „(Blasius) Pohlus lupum exfoliativum ex hyperaemia magis intensiva atque acutiore exortum describit, in quo maculae vel noduli illi rubri secreto fluido, flavo, cito crustante obtecti sunt, quod interdum detrusum iterum renascitur.

Quae res optime tanquam ad alteram lupi speciem i. e. ad ulcerationem transitus haberi potest. Haec autem species ulcerativa usitatissima tum demum exoriri solet, cum variae morbi formae primores iam antecesserunt. Per menses iam vel annos et eo amplius rubrae illae maculae et noduli in tumida cute sedentes etiam rubidiores, ciceris vel fabae magnitudinem habentes, molles, dolore satis vacui sentiri poterant, iamdiu squamulae a cute passim recedebant: extemplo rubor ac tumor extenditur, singuli nodi crescunt, novi accedunt, partes cuti luposae adiacentes longe lateque hyperaemicae, splendidae, oedematosae fiunt inque uno vel compluribus locis ulceratio superficiei cito crustans nascitur. Sub crustis continuo novum secretum contrahitur, quod undique extra profluit et exarescit. Itaque sensim tabulata alia super alia sita renascuntur, quae crustam magis magisque arescentem eandemque sufflavam efficiunt. Quas si removebis sanguis plerumque profluere incipit. Neque igitur infitiandum est distinctionem, qua Cazenavius et Schedelius hisque praeeuntibus multi alii usi sint: utrum lupus cutis superficiem tantum, an interiores quoque partes deleat (l. qui détruit en surface et en profondeur; esthiomène ambulant et terebrant Aliberti) ullius momenti omnino non esse, cum utraque morbi forma in omnibus faciei partibus existere constet. Sunt quidem qui contendant, cum nasus lupi

morbo affectus sit, tum eum alterius speciei lupum esse censendum. Quod si fit coryza accedere totusque nasus ruber, lividus, tumidus esse solet Destructio modo lente modo cito procedit, ita ut observatum sit post duas fere hebdomades nasum magnamque labri superioris partem sine ullo dolore esse deletam. Ceterum lupis minimum doloris afferre solet, praeterquam quod aegroti sensu pruriendi vel urendi afficiuntur, quem sensum aucta tantum partium congestione exoriri concludere licet. Quas deinde cicatrices utraque harum specierum relinquunt, dissimiles omnino non sunt, nisi quod eae quae ulceribus summae cutis nascuntur inaequabiliores varieque figuratae apparent, cum diversissimis locis cicatrices contrahantur quaeque antea iam contractae videbantur, iterum eae ac saepius recrudescant. Ubi vero hunc in modum ulcus sanatum est, ea cutis pars retis similitudinem speciemque gerit et cum notis ustionis cancellatis comparari potest. Contra si interiores faciei partes lupo affectae sunt, cicatrices contrahuntur illis multo crassiores ac spissiores magisque in stellae figuram redactae. Sed et hae nonnunquam recrudescunt, unde interiores quoque partes destruuntur. Quae lupi species saepe etiam in membrana pituitaria narium exorta celerrime procedit. Quod si fit interdum totum septum narium deletur, priusquum in exteriore aliqua narium parte ulcus existit; tum vero tota interioris nasi superficies destruitur et morbus in membranam pituitariam palati progressus in gingivam profundos sulcos imprimit (Cazenave). Tertiam huius morbi speciem, lupum hypertrophicum, apud plerosque auctores distinctam atque separatam reperimus. Hanc autem morbi formam Fuchsius „lup. tumidum, der gedunsene Hauptwolf" appellat eandemque prorsus lupi speciem esse arbitratur, quae latissime se extendere solet. Plerumque in facie existit, attamen etiam in collo et in superioribus corporis partibus nonnunquam invenitur, dum nasus ipse lupo excedente deroditur.

Ea autem species sicuti ceterae initium a tuberculis capit paullum modo editis, mollibus, dolore vacuis, quae quidem multo frequentiora mox singula mox cumulata procreare solet. Raro noduli vel nodi in summa parte suppurant, immo plerumque in modum lupi exfoliativi desquamantur. Texturae sub cute positae sine ullo dolore vel inflammatione intumescunt. Cutis nodorum, qui in basi in unum omnes confundi videntur, aequabilius extenditur atque convexa, splendida, rubra evadit simulque cute circumiacente quae plerumque oedematosa est tactu magis elastica ac dura apparet. Itaque cum partes morbo affectae ad duplex volumen et amplius undique intumescunt, noduli initio distincti et locis adiacentibus prorsus aequi partim tanquam puncta riubida tantum cernuntur, partim in circatrices coeunt albicantes, excavatas, leves, quae partibus cutis hypertrophicis instar retis intertextae sunt. „Labra ad digiti magnitudinem ntumescunt, genae tanquam sacculi dependent, cutis sub mento nonnunquam ita augetur, ut pondo complures libras valeat; frons, supercilia imminent, oculi palpebris atque iis partibus, quae orbitae adiacent, paene obteguntur. Cum vero extremae corporis partes morbo infectae sunt, usitati voluminis duplum quin etiam triplum assequuntur massasque efficiunt deformes atque inaequales, quae pondere suo aegrotis magnam afferunt molestiam, cum impediantur quominus libere se moveant“ (Fuchs). Membrana pituitaria labrorum extra replicatur simulque aures hypertrophicae fiunt. Ubi vero apta curatione tumor hypertrophicus regreditur, loci morbo correpti aut texturam tralaticiam assequuntur inque conditionem suam constantem quamquam rarissime perfectam redeunt (Cazenave), aut speciem lupi exfoliativi assumunt (Blasius). Plerumque lupus hypertrophicus simul ulcerativus apparet ipseque efficit, ut partes interiores uredine affectae plane deleantur. Cuius rei exemplum luculentissimum maximeque memorabile Bardeleben a se observatum dicit,

quod his fere verbis describit: „Loci cutis desquamaturi et tumidi non squamulis obtecti erant, sed aspectum ulceris sordidi ac badii gerebant, cuius fundamentum massae tetrae miculosaeque cooperuerunt, quae facillime deradi poterant. Interiecto deinde aliquo tempore locus morbo affectus a locis circumiacentibus accuratius determinatur sulcoque quodammodo a partibus sanis separatur, spissitate amissa mollior factus colorem ducit pannosum cineraceum aut sufflavum; panniculi superficiei sine ullo sanguinis profluvio aegre abscindi possunt. Propter foetorem nimis magnum, qui ex locis morbo affectis iisque semidigitalibus nascitur, cum exspectare non vis donec pars luposa a partibus sanis detrudatur, facile adhibita novacula vel cultro utramque absolvere et vitato angusto earum confinio sanguine non profluente magnam partem texturae removere poteris."

Aliam lupi hypertrophici speciem Cazenavius et Schedelius descripserunt, in qua ulcera maculas aut tubercula violacea secuta tuberibus parvis, rubris, mollibus, fungosis (comme fongueuses), valde editis obtecta erant, unde aspectus oriebatur teterrimus. Quae species cuius prognosis periculosissima esse iudicatur, postea accuratius observata atque descripta est. Aegrotum morbo huius generis laborantem nobis quoque contigit, ut in clinico Bonnensi chirurgico videremus.

In eius labris, naribus, genis sarcomata verrucosa, purulenta, rubida conspiciebantur. Simillima condylomatis ex cellulis epithelii coacervatis constare dicuntur (Bardeleben).

Idem quoque cogitandum videtur de Fuchsii lupo exuberante, quem his fere verbis descripsit: Postquam crustae tenues atque sufflavae mature detrusae sunt, plana attrita apparent tumoribus mollibus, humidis, rubris vel lividis, magnis granulationibus consimillimis densissime consita, quae magnam ichoris floccosi vim emittere solent. Qui tumores ex corpore cutis quod vocatur papillare orti partes circumia-

centes superant, ita ut loci illis consiti tamquam notae plus minusve editae compareant, quarum singulae magnitudinem duarum saepe linearum eoque amplius assequuntur. Hoc vero lupo eos potissimum homines corripi, quorum dyscrasia scrofulosa longe iam processerit, idem ille auctor arbitratur.

Omnes quas adhuc descripsimus lupi species in uno eodemque aegroto aut cunctae eodem tempore, aut una ac deinceps omnes existere possunt. Deformitates, quas lupi morbus efficere solet, diversissimae sunt ac valde singulares. Causa earum nihil aliud est, quam cicatrices, quae sanata exfoliatione vel ulceratione aut tenuiores aut spissiores contrahuntur. Ceterum etiam fieri potest, ut cartilagines et ossa premente strato nucleorum vel telae cellulosae et quoquoversus extenso membrana nutrice priventur itaque deleantur. Persaepe autem blennorhoea sacci lacrymalis utriusque oculi observatur, quae coartato ductu nasali exorta est; neque raro palpebrarum ectropiam videmus et quae eam sequuntur. Ubi vero lupus angulos oris sedem sibi elegit, os cicatricibus undique contractis valde coangustari potest. Wernherus uvulam lupi morbo ita decurtatam reperit, ut prorsus fere evanesceret, velum palatinum contractum atque extentum, licet hae partes nunquam adhuc ulceribus affectae fuissent. Saepenumero etiam nares coalescunt. Itaque lupus chirurgo magnam diversissimarum operationum materiam largitur.

Denique plerique scriptores aegrotos lupo affectos valde ad erysipelas faciei inclinare contendunt idque alii (Cazenave et Schedel, Rayer, al.) lupi curationem iuvare, alii nocere dicunt. Nos quidem repudiata illa huic sententiae accedere malimus.

III. DE SEDE.

Saepissime iam observatum est lupi morbum faciem potissimum sedem sibi eligere. Neque igitur mirandum, si qui huius partis locus aliquantum affectus videatur, facillime nos ad hunc morbum deduci. Nam universae lupi species in facie inveniuntur ab incipiente hyperaemia et deinceps omnes usque ad ferocissimam illam teterrimamque formam, qua substantia amissa facies prorsus deletur cicatricesque contrahuntur. Quae vero faciei pars potissimum affici soleat, vix pro certo dici potest. Ex eo quidem numero, qui de hoc morbo scripserunt, nasum plerique maxime corripi arbitrantur; neque minus saepe a membrana pituitaria, quam a naribus primoribus et alis nasi initium capere solet. Rayerus hanc sententiam habet ut sentiat morbo centies existente octogies saltem nasum affici. Qua observatione nisus etiam morbi species distinxit, prout aut nasum aut genas sibi sedem eligit. Tertiam deinde huius morbi formam aliis locis exorientem nihil aliud esse iudicavit, nisi complicatam speciem lupi faciem depascentis.

Praeter nares et genas labra, gingiva, molle palatum potissimum lupi morbo corripiuntur, ideoque affecta facie quin cavum oris et palati accuratissime cognoscatur omittendum omnino non erit. Saepissime etiam accidit, ut membrana pituitaria nasi, veli palatini, uvulae degenerata sit. Cuius rei exemplum maxime perspicuum Pohlus in medium protulit. Rarius contra fieri solet, ut lupus in mento, fronte,

interiore oculorum angulo, auribus vel prope supercilia existat. Nec tamen par est non commemorare eam lupi speciem, quae transacto vicesimo anno feminarum vulvam invadere solet, ex qua re si quis concluserit hunc esse lupum syphiliticum proxime eum ad veritatem accedere veri simillime est. Neque vero dubitari potest, quin lupus quamlibet cutis partem corripere ac devastare queat.

IV. DE INSTITUENDA INQUISITIONE ANAOTOMICA.

De instituenda inquisitione anatomica in scriptis qui sunt de morbis cutaneis ne minimum quidem proditum accepimus. Primus igitur Fuchsius adhibita arte anatomica in eum morbum inquisivit.

In ea operis sui parte, in qua de hac re agitur, his fere verbis disserit; Cutis non solum in superficie tabulatorum secretionis infecta est, verum etiam in interioribus plus minusve mutata apparet. Tubercula in radices exeunt satis profundas inque cutem quodammodo immissa initio rubram texturam praebent; postea vero incipiente diffusione in incisura eadem materia sufflava instar punctorum ac linearum conspicere licet, quae in ceteris quoque tumoribus scrofulosis invenitur. In plano autem lupo ea materia inter folia cutis abscedere videtur. Squamulae ex altera specie et quae sunt consimiles natae simplicia epidermidis folia sunt; contra crustae speciei exulcerantis magnam partem ex aridis corporibus exsudatis constant; in spissioribus tantum crustis passim singula fila conspiciuntur, quos fungos esse pro certo affirmare nequeo. Partes in lupo exuberante excrescentes, ut supra iam diximus, ex corpore papillari cutis proficisci videntur. Sed in lupo cuiuslibet generis materia scrofulosa

in textura cutis inferioris abscedit. Quae res in lupo tumido maxime fieri solet, in quo efficit ut partes tam deformiter intumescant.

Praeterea in cadaveribus eorum, qui lupo moriebantur, eaedem commutationes quae in alio glandularum abscessu scrofuloso observantur.

Cum igitur Fuchsius inquisitione in hunc morbum instituta nihil aliud se invenisse profiteatur nisi abscessum scrofulosum eiusque commutationes, ad cognoscendam huius morbi naturam minimum profecto attulit. Item de Rosenbaumio indicandum, qui definitione lupi haudquaquam meliore in medium prolata sub hoc morbo affectionem glandularum aucta secretione et occlusis ostiis subintelligi voluerit, quae faciem ac quidem regionem circa nasum potissimum sedem sibi eligere soleat. Ad extremum progressam in ulcerationem eam transire neque raro magnam affectarum partium destructionem efficere arbitratus est. Texturam glandularum lupo maxime invadi assentiente Lessingio etiam Ure affirmavit. Lessingius autem inquisitione satis accurate instituta hanc cutis morbo affectae conditionem observatam habuit: In duobus tuberculis minoribus ostia glandularum erant occlusa; hae autem glandulae multo magis quam duplo dilatatae materiam continebant ex albo flavescentem, quae cultri apice sublata admodum tenax apparuit. In tuberculo uno maiore glandula quoque magis amplificata erat, utriculi eius fere evanuerant, tenui tantum tegumento cavum eius clausum erat materiamque ostendebat subcanam et fere mucosam."

Eae inquisitionum summae aliaeque consimiles prolatae sunt, quas enumerare longum est, cum omnes ne Martino quidem excepto eis quae revera in illo morbo inveniri soleant omnino non respondeant.

Accuratiore inquisitione anatomica nisus primus lupi morbum Bergerus explanavit (dissert. Gryphiae), qui eum cellulas hypertrophicas recens ortas esse suspicatus est, quae

per microscopum observatae granulis simillimae nucleisque praeditae esse viderentur.

Aeque figuratae ac cellae legitimae retis Malpighii rarissime tantum speciem ovatam praebent. Diametrum trecentesimae vel ducentesimae lineae partis habentes molli quadam materia certa figura carente particulisque minimis per microscopum modo cernendis composita circumdabantur Inter has cellulas legitimae telae fibrosae conspiciuntur.

His sententiis quantum auctoritatis attribuendum quidve veri vel falsi ac dubii insit, eius rei Pohlus noster in opere suo subtilissime conscripto sagacissimum se et doctissimum iudicem praebuit. Quapropter eius iudicio atque sententiae omnino esse accedendum nos quidem aperte profitemur. In tertia operis sui parte his fere verbis disseruit: Rarissime alicubi quam in parte cutis lupo affecta et iis qui huic adiacent locis hypertrophia existere solet, neque casus desunt, in quibus capillares dilatatae longeque extentae per cutem in cicatricis modum extenuatam cerni possunt. Sanguinis abundantia ad panniculum, musculos, cartilagines, glandulas progressa videtur. Ubi vero ulcera exorta tabulatumque cutis epitheliale iam usque ad papillas deletum est, prope locum ulceribus praeditum amplae capillares forma arcuata se extendunt, quae ex vasis maioribus, longe porrectis profundeque positis proficisci solent. Structura papillarum cutis amplius dinosci nequit; hyperaemiam partium cutis lupo affectarum permagnam esse inde liquet, quod motu vel minimo: temperatione aëris mutata, inclinando corpus tanta conditionis aegroti commutatio fit, ut verbi causa facies colorem rubidum ducat, vel etiam sensus oculorum hebescat atque abscuretur. In lupo partim exstirpato Hoppe sanguinis profluvium ex minimis vasis dilatatis profectum invenit, quemadmodum ex telangiectasia subcutanea oriri solet. Idem ille medicus hypertrophiam adipis observavit, quae lipomatis diffusi vel etiam adipis in morbo cancri nascentis commonet

neque aliunde proficisci videtur, quam ex hac hyperaemía chronica vasisque dilatatis. Praeter hypertrophiam adipis Pohlus etiam telam cellulosam iuxta cutis partem lupo affectam hypertrophicam, glandulam sebaceam ad magnitudinem acus auctam, capillum bene nutritum reperit. Attamen tumor, qui tactu durus origo omnium formarum supra commemoratarum lupi procedentis habendus est, ex sola cutis tabulati pristini novique epithelialis hypertrophia proficiscitur. Satis enim in aperto est in hac morbi conditione insertis lineis ac tabulatis telarum cellulosarum novas cellulas easdemque indifferentes nasci, quae mox texturas interiores mox epidermidem obtegentem afficientes quoquoversus se extendant. Loci cutis lupo affecti in incisura badii, splendidi, humidissimi, modo unum colorem habentes modo raris nodulis albis ac lineis repleti conspiciuntur. Dum autem lineae semper fere marginem loci luposi attingunt, noduli aut propius aut longius ab eo remoti partim nudis oculis cerni nequeunt, partim magnitudinem ciceris assequuntur. Hi noduli interdum instar lineae circuitum versus excurrentis continuantur. Color et cetera signa luposorum cutis locorum in incisura eundem quem glandulae scrofulosae lymphaticae aspectum atque naturam ostendunt. Nuclei teretes aut ovati, crassis granis obtecti, duracini, sufflavi, splendidi, arctissime concubantes materia subtilibus granis conspersa circumdantur, quae acido acetico extenuata vel aqua infusa turbatur. Qua materia pituitosa singulae partes cohaerent, ita ut in praeparandis corporibus per microscopum observandis nuclei una cum panniculis substantiae circumfusae circumagantur. Nucleorum ipsorum commutatio ingesto acido acetico concentrato omnino nulla est, praeterquam quod substantia illa clarior evadit atque pellucidior. Prope superficiem nucleorum parietibus cellulae intextae sunt, quae initio cum nucleo paene ovato, aucto, una vel duobus nucleolis praedito tanquam cellae tenerae granisque subtilissimis con-

spersae arctissime cohaerent, postea vero satis auctae aut cellae epithelii fieri aut perire solent.

Praeterea etiam nuclei inveniuntur, qui adnexis nucleolis bini vel terni coaluerunt, aut bini singula corpuscula nascuntur. Quod nucleorum tabulatum capillaribus supra commemoratis tanquam alia neoplasmata aut vasa sequens aut ab origine sua interclusum texturis iam extantibus inseritur, quarum magna pars evanescit vel per aliquod tempus inter nucleos separatim permanet.

Vasa locis luposis adiacentia eandem habebant structuram quam magnae capillares, neque dubium erat quin neoplasmata existimanda essent. Pariter atque in cute extranea densatio in membranis pituitariis observata hyperaemia nucleorum epithelii constat.

Crescente tum nucleorum tabulato tabulatum epidermidis paullatim extenuatur, donec massa exsudata, humida, nucleis circumfusa multum albumen ovi continens extra profusa arescit inque crustam transit. Nucleis recens exortis aut ab interiore ulceris parte aut in unoquoque substantiae circumfusae loco proficiscentibus etiam post proruptam massam illam exsudatam nucleorum epithelii cellarumque tabulatum ad superficiem protruditur. Superficies earum partium, quae lupo affectae eruperunt, liquore satis sufflavo ac puri simili obtegitur, in quo singula elementa substantia minus spissa cohaerent. Nuclei crassiores apparent certisque lineis circumscripti et configurati sufflavum nitorem amiserunt.

Praeterea massa profluens multas epidermidis cellulas continet, quae modo teretes, granatae itaque pingues, modo prorsus compressae in modum tabulatorum fibratorum cohaerent magnamque partem dilabuntur. Multi nuclei et cellae epitheliales adipe exoriente interire solent. Praeter illa elementa etiam cellulae existunt, quae cellis suppuratione natis simillimae plus minusve iustum perfectionis gradum assecutae sunt.

Quod porro Bergerus contendit rete Malpighii lupi originem esse atque causam a Pohlo omnino negatur concedente quidem lupum ab hypertrophia elementorum in reti extantium initium capere. Unaquaeque autem textura dummodo mollis sit ac vasa contineat, a luposa cutis parte nucleis epitelialibus intertexi potest.

Virchow (cf. Simon p. 272) et Bergerus in textura lupi alba corpuscula invenerunt, quae ille folliculos dilatatos aut glandulas sebaceas, hic glandulas sebaceas dilatatas esse suspicatus est. Censebant enim cellulis epithelii vel ex una parte vel undique prementibus glandulas illas impediri, quominus liquorem suum emitterent, itaque fieri ut coacervato adipe augerentur.

Bergerus eas corpuscula esse putabat quartam lineae partem vel dimidiam longa, quae sebo vulgari essent repleta.

Pariter etiam Pohlus hos nodulos lupi morbo exortos cellulis epithelialibus diversissime ordinatis constare invenit. Eae autem cellae, ex quibus circuitus globulorum compositus erat, praecipue spissae arctissimeque cohaerentes magis speciem fibratam praebuerunt, si ex latere angusto conspiciebantur. Porro si quis interiores nodulorum partes inspexerit, alias cellas epitheliales unum centrum circumiacentes inveniet. Globi maiores, quorum pars interior iam emollita erat, insuper adipem liberum parvis guttis globatum et tabulas cholestearini continebant. Merito igitur Pohlus has formas cum systematis cellarum in cancro epithelii indigenis cellulis ortis effectarum conferendas putavit. Itaque viro huic doctissimo veri simillime videbatur cellas epitheliales circa unum eundemque locum coacervatas, quae in lupo albos nodulos vel globos efficiant, origine illis dissimiles omnino non esse. Inania spatia (Hohl- oder Bruträume) tantum desiderantur, quae formationi cellarum indigenarum, ut verbi causa in cancri morbo, interdum antecedunt. Bergerus tumorem in lupo hypertrophico tanquam retis Malpighii hypertrophiam

habuit, in qua verum epidermidis tabulatum conservatum esset. Quam sententiam Pohlus omnino repudiavit, cum invenisset commutationes interiorum partium multo esse maiores, quam hypertrophiam retis, ita quidem ut cutis locorum diffuse tumidorum extenuata videretur.

Tumore dissecto incisura cernebatur prorsus plana, subalba, splendida, levis, lardo similis, cui lineae vel striae albiores, spissiores, decussatae intertextae erant. Textura cultro satis restitit, incisura levis ac nitida cum ex latere premitur materiam ex flavo albam, pellucidam, et sanguinem emittit. Totus tumor texturis constat spissis arctissime accubantibus, quibus passim fibrae nucleorum coalescentes, vel fibrae elasticae longe se extendentes intextae sunt, ita ut etiam tenuissimas incisuras difficillime acu discindere queas. Inter haec elementa fasces musculorum obliquis lineis distincti, perpallidi, translucidi imprimis cognosci possunt. Praeterea substantia, qua intervalla repleta sunt, cellulas continet teretes, granulis subtilibus parietibusque tenuissimis praeditas, quae cellas suppuratione ortas magnitudine vix superare solent. Quae textura recens demum nata proxime ad cutem accedit et panniculo partim pertuso partim remoto ita eam ad fundamentum suum astringit, ut amplius moveri nequeat.

Virchow quoque locis lupo conspissatis hypertrophiam cutis invenit, quam ex novis texturis profectam suspicatus est.

V. DE AETIOLOGIA.

Morbi huius atrocissimi quae sit origo si quaeritur quove modo curari queat, hoc tandem necessario dicendum est:

omnium fere medicorum eorumque doctissimorum sententiae tanto opere inter se discrepare, ut valde dubitandum sit, quin satis luminis huic rei tam occulta et quasi involuta unquam afferatur. Itaque in iis initamur oportet, quae medici veracissimi diligentia sua eruisse se affirmarint inque medium protulerint. Quorum sententias si perlustramur ea nobis prima occurrit, quae lupum dyscrasiam scrofulosam esse voluit. Cui opinioni cum plerique medici tum Fuchsius inprimis accessit, qui lupum semper ex dyscrasia scrofulosa profectum ratus interdum primam abscessus scrofulosi formam esse censuit, cui saepissime etiam glandulae ossaque srofulosa, favus, ophthalmia, ozoena antecessisset. Atque profecto haudquaquam infitiandum est hoc morbo eos potissimum homines affici solere, qui scrofulis laborent. Neque tamen tota Fuchsii sententia assensione comprobanda videatur. Manifestum enim est in hominibus scrofulosis unumquemque morbum cutaneum existere posse. Lupum vero, si quem eorum invadat, nihil omnino proprium habere atque singulare Lebertus vir summa in ea re auctoritate merito iam contendit. Cuius opinioni prorsus assentiamur, cum saepius aegrotos videremus lupo conflictatos, in quibus signa dispositionis scrofulosae nulla essent. Quod porro glandulae tumidae lympha repletae sub mento vel in regione submaxillari hominum lupo l borantium inveniuntur, tum hae solae morbum scrofulosum significare possent, si iam ante exortum morbum cutaneum eas extitisse manifestum esset, cum glandulae illius regionis lympha repletae in morbis faciei plerumque intumescere soleant; immo notissima res est multos homines luposos optimae validissimaeque valetudinis esse.

Hebra lupum idiopathicum distinxit, quem quis ex dyscrasia profectum ac permanentem haudquaquam liquide demonstrare queat.

Praeter dyscrasiam scrofulosam syphilis quoque origo

atque causa lupi contenditur, ita ut nonnulli scriptores singularem insuper lupum syphiliticum describant. Martin (cf. Illustr. mediz. Zeit. 1852 p. 267) omnium lupi casuum, si quis pubertatem ingressus eo morbo afficiatur, quartam vel omnino dimidiam partem ex una illa syphilide oriri arbitratus est. Nonnulli auctores lupi morbum hereditate accipi posse pro certo affirmant, cuius rei exempla frequentissima in medio proposuerunt. Obtigit enim Fuchsio, ut matrem, filium, duosque eius germanos lupo laborantes videret, et Alibertus et Wernherus observasse se dixerunt homines lupo conflictatos saepissime etiam cancro vexari.

Lupi morbus homines plerumque puerilium annorum invadit neque eum Cazenavius quadragesimum annum transgredi affirmat. Rayerus plerosque huius morbi casus intra sextum et vicesimum quartum aetatis annum, Alibertus in hominibus duodecim vel sedecim annos natis observavit. Rarissime intra tertium aut quartum annum aut in hominibus quinquagesimum annum egressis cernitur. Ceterum feminae magis quam genus masculum illo morbo conflictari videtur.

Quam porro vim ad nascentem vel ad procedentem hunc morbum pubertatis anni habeant, magna inter scriptores dissensio est. In puellis quidem morbum et tempus menstruale multum alterum ad alterum pertinere cognosci potest, cum purgationes menstruae contra regulam, exiguae, doloribusque coniunctae evadant, vel etiam prorsus desiderentur. Neque minus certum est persaepe menses hoc morbo omnino non turbari aut impediri. Pohlus in femina quadam lupo conflictata cum undevigesimo demum aetatis anno menses magnis doloribus apparerent, lupum exulcerantem, postquam septimum iam annum perduravit, perspicue minui et retrogradi observavit.

Ceterae quae plerumque dicuntur lupi causae parum certae et definitae sunt, quam quae ad lupi morbum refe-

rendae videantur. Saepissime domus vitiosae et insalubres, victus tenuis nec idoneus, denique omnia ea quae ad valetudinem conservandam prorsus necessaria sunt hunc morbum imprimis gignere atque nutrire solent. Itaque haud mirum videri potest, quod maxime in infima plebe ac quidem agresti saepius, quam urbana invenitur. Alibertus duo attulit huius morbi exempla unde facile cognoscitur disposita corporis valetudine rem vel simplicissimam ad morbum excitandum sufficere. Vir quidam in cancellos incidit, quibus latrinae obtectae erant animaque per aliquod tempus deficiente faciem luto conspersit; ex vulnere in naso accepto postea ulcus luposum exortum est. Item monetae opifici cuidam lymphaticae valetudinis idem morbus labra invasit, quibus aliquamdiu numos cupreos attigerat.

VI. DE DIAGNOSI.

Lupus tam propriam tamque singularem morbi cutanei naturam habet, ut in plerisque casibus statim dinoscatur; facilius tantum in diiudicando eius initio errari potest. Superiori tempore dinoscendae aenae rosaceae grande additum est momentum, quem morbum cutaneum in facie potissimum existentem ex dilatatis vasis proficisci manifestum est, cum follibus cutaneis cutem prementibus sanguis impediatur quominus facile refluat. In summis acnae nodulis plerumque nigra comedonum puncta conspiciuntur, dum exoriente lupo hi ipsi folles desquamantur. Suppuratio acnae nodulis effecta haud pariter ac lupus ad ulcerationem inclinare solet. Item materia sufflava, quam pustulae acnae continent, ex cellis purulentis; contra flava massa exsudata, quae in locis lupo

sis cernitur, ex novis cellulis nucleisque epithelialibus composita est.

Neque tamen raro tubercula syphilitica in facie existunt, quorum signa lupo tam similia apparent, ut difficillime dinoscas utrique morbo adscribenda sint. Cuius rei primus Cazenavius mentionem fecit: „Cum duae haec affectiones tuberculis tantum significentur, quae summa non suppurant, interdum ut illae dinoscantur res est multis difficultatibus obstructa. Tubercula syphilitica multo maiora et teretiora, colore cupreo sedes exfoliationis non sunt neque pariter ac lupus ad ulcerationem tentant. Praeterea tubercula lupi molliora, leviora cute paullum modo intumescente semper fere parvam epidermidis squamulam secum habere solent, quae squamulae a cute recedunt. Denique tubercula syphilitica faciei, quae ex infectione venerea proficiscuntur, plerumque in hominibus certae aetatis existunt, lupus contra in pueritia nascitur. Admodum vero cavendum erit, ne quis inde lupum significari coniiciat, quod genas nasique alas sedem sibi elegerit; alia enim exempla creberrima inveniuntur, neque quidquam negotii est intelligere tuberculum in alis narium enatum signum esse syphilidis secundariae pathognomonicum. Tuberculum exulcerans margines habet syphiliticos, tumidos, rubros, serratos; in profundum vel ad latera sinuose se extendens saepenumero etiam ulceratione procedente canales efficit subcutaneos atque fistulosos; contra lupus exulcerans, cum semper a summa cute initium capiat, exulceratione tuberculi syphilitici multo citius exoriri solet. Ossa proxime adiacentia ut verbi causa maxilla inferior, ossa unsalia lupo tantum nudantur, ita ut omnino non mutata in fundamento plani ulcerativi posita videantur, dum ulearatione syphilitica et ipsa arroduntur. Praeterea ceterae quoque corporis conditiones proprium quiddam habent atque singulare, quo quis rectum iudicium facere possit.

VII. DE PROGNOSI.

De hac inquisitionis parte omnes fere auctores eandem habent sententiam. Neque quemquam medicorum qui hunc morbum curaverunt fugere potuit, quin pertinacissimus sit remediisque vel efficacissimis magno opere resistat; non quod vitam aegroti in discrimen adducat — res quae nisi rarissime fieri nequit, — sed quia post longum tempus destructionesque maximas multis cicatricibus relictis demum evanescat.

Hebra maximus ille nostrae aetatis dercilopathologus tribus saltem annis ad lupum sanandum opus esse contendit. Summum vero detrimentum inde nonnunquam proficiscitur, quod fieri potest, ut vulnus per speciem prorsus sanatum post aliquod tempus recrudescat. Cicatrices semper remanentes pro sua quaeque natura atque aspectu prognosin admittunt modo meliorem modo peiorem. Quae ubi molles, subcaeruleae, tuberculis plus minusve magnis cinctae digitoque tactae fluctuationem quandam significant, valde verendum est ne aegrotus denuo in morbum recidat neve malum progrediatur (Rayer et Cazenave).

Omnium lupi formarum hypertrophica periculosissima pertinacissimaque habetur, quippe quae texturas infestissime invadat. Hanc speciem et lupum exfoliativum serpiginosum Hebra a sola valetudine infirma proficisci suspicatus est, cum omnia quae adhibebantur remedia ad irritum caderent; prognosis lupi syphilitici, cum luem valde inveteratam significare dicatur, mala est, quippe qui nisi in hominibus imbecillimae

valetudinis phthisique laborantibus non observetur (Wernher). Ante pubertatis annos morbus facilius sanari potest, quam post eos quantoque liquidius torpidus aegroti habitus scrofulosus cognoscitur, tanto rarius ac lentius ad sanitatem revocatur (Fuchs). Maxima vero bene cognoscendi difficultas inde adfertur, quod aegrotis, ubi ex morbo recreati sunt, nova persaepe curatio patienda est, si faciei deformitates, quas supra descripsimus, per totum vitae tempus perferre nolunt. Neque enim eam rem Alibertus exasperasse videatur, cum dicat: In plerisque casibus faciei deformitas ea est, ut aegrotis illis infelicissimis vix amplius in publicum prodire liceat. Aspectus eorum ceteris hominibus taedium quin etiam terrorem affert, ita ut societate humana exclusi nosocomiis ad curandos custodiandosque alios aegros operam suam locent. Rarissime accidit, ut lupus aegroti vitam in magnum periculum traducat vel etiam mortifer evadat, nisi forte eum impediat, quominus cibum assumat. Saepius contra fieri potest, ut quod Wernherus iam monuit tuberculis pulmonum glandulisque mesenterialibus exortis morbus haud bene eveniat.

VIII. DE THERAPIA.

De lupi curatione quid sit statuendum quaeque via ac ratio ingredienda, ea res multas inter omnes omnium aetatum medicos controversias excitavit. Nam cum alii de medicorum grege arbitrati lupi morbum dyscrasiam significare scrofulosam syphiliticam vel aliam quandam sibi ignotam remedia intrinsecus adhibenda putabant, partim medicamenta extrinsecus admovenda magno opere collaudabant. Neque

tamen desunt, qui utramque curandi rationem coniungendam affirment. De medicamentis intrinsecus adhibendis, in quorum numero oleum iecoris aselli imprimis ponendum erit, ita cogitari debet, ut aegrotis scrofularum morbo potissimum laborantibus praescribi soleant. Atque profecto huius methodi proventus tam prosperi tamque perspicui fuerunt, ut summopere comprobanda videatur. Magnum enim virium aegroti incrementum additur, color multo nitidior, digestio facilior fit, tumor nasi et labrorum evanescit totaque valetudinis conditio speciem prae se fert multo meliorem atque constantiorem. Quae mutationes cum exoriuntur ipse quoque morbus commutatur: subsistit et ita recedit ut recte sperari queat aegrotum brevi post bonam suam valetudinem esse recuperaturum. Attamen oleum iecoris aselli non semper eum habet eventum, cum remedium certum neutiquam haberi possit. Verum enimvero omnes fere scriptores pariter affirmant corporis constitutionem enixissime esse iuvandam validioremque reddendam, res quae bona tantum corporis cura, vescendo carne, lavando aestate frigida, hieme calida impetratur; praeterea aegrotus saepe in publicum prodeat, ut libero aëre redintegretur.

Cazenavius et Schedelius solutionem calcariae muriaticae (ʒ I—℔ I aqu.) quotidie ad 1—12 cochl. sum. optimo eventu praescripserunt; nec minus ferrum sulfuricum. Ad discutienda tubera oleum animale Dippelii, pilulas asiaticas, Fowleri solutionem (3—24 gtts quot.) admodum laudaverunt. Praeterea Rayerus doses sublimati gradatim augendas granique partem quartam decimam usque ad quintam continentes his verbis commendavit: „Inter remedia lupo intrinsecus admovenda, quae deinceps omnia expertus sum, hoc unum mihi ad depellenda tubercula efficacissimum videbatur. Quo medicamento per duos vel tres menses adhibito partes tuberculis consitae dolere incipiunt; inflammatione quadam interiore, quam interdum motus febriculosi comitantur, tubercula

partim plana redduntur partim evanescunt. Illud igitur remedium non solum ad ipsa tubercula validissimum apparet, verum etiam toto corporis habitui maximam affert utilitatem, cum impediat, ne nova tubercula nascantur. Nonne haec verba ad unum lupum syphiliticum pertinere videntur? Blasius contra lupum scrofulosum praecipue cicutam magnis dosibus sumendam, barytam muriaticam vel calcariam muriaticam, praeparata iodi vel aquas iodinas decoctumque Zittmanni commendavit.

Sed longum est enumerare omnia remedia, quibus medici magno commodo atque proventu usos se affirmant. Nihilo tamen minus aperte profiteamur necesse est horum remediorum intrinsecus adhibitorum constans se atque certum praestitisse nullum, ita ut et nostra adhuc aetate commemorabile illud Aliberti dictum prorsus adprobandum sit: „Confiteri debemus, inquit, curationem lupi in experimentis tantum incertissimis esse positam; temere ac fortuito omnia quae in mentem nobis veniunt adhibere solemus; nonnulla remedia modo prorsus irrita fiunt, modo magnae ad depellendum morbum utilitati esse comparent."

Denique non omittenda videntur ea quae Trautweinius Cruzinacensis vir prudentissimus idemque spectatissimus de usu aquarum patriae urbis suae professus est: „In una tantum, inquit, morbi huius atrocissimi specie tuberculosa ulcerativa, quae facile ex scrofularum morbo profecta cognosci potest, illae aquae usui sunt ac quidem magis quam cetera remedia maxime laudata. Ceterum vero huius morbi curatio plus patientiae postulat, quam reliqui cutis morbi omnes, cum usus aquarum per quinque vel sex aestates iteretur necesse sit. Neque tamen unquam observatum est aegrotos, qui sanationem funditus perfectam itaque dyscrasiam depulsam expectaverint, denuo in eundem morbum recidisse. Ad detrudendas crustas purgendaque ulcerum plana sicuti ad massas hypertrophicas concidendas hoc plurimum valet

quod simul in fomentis aquae salsae admovendis continuo perseveratur, quibus cute admodum irritata aliquantum lactis suffunditur.

In clinico Bonnensi chirurgico curatio interna bonis cibis, oleo iecoris aselli quot. ad 2—3 cochl. sum. — praecipue liberis et hominibus adultae aetatis scrofulosis —, interdum data solutione Fowleri praeparatisque ferri constare solet. In qua curandi ratione illud imprimis respicitur, ut aegroti crebris lavationibus additaque aqua salsa Crucinacensi cutis munditiei et curae inserviant. Hac via ratione ac peritia indicata huius morbi curatio prosperrime semper successit. Licet enim lupus eo modo haud semper prorsus sanetur, magnum tamen curationi locali adiumentum affert. In hanc curationem extraneam semper cura atque diligentia intentissima collata est, ita ut praeter medicamenta intrinsecus adhibenda etiam remedia extranea admoverentur. Rationem curationis extraneae per longum tempus usitatam Cazenavius his fere verbis describit. „Applicatis substantiis plus minusve irritantibus vitalitatem cutis commutare vulneraque discutere studebatur. Quem ad finem unguento ex calomelane (℈ I — ʒ β : ℥ I axungia) vel sulfure iodato (gr. 12—15—℈ I : ℥ I axungia) constante utimur. Is curandi modus in lupo hypertrophico efficacissimus putabatur. Quae remedia cum ad irritum cadebant vel cum lupus exulcerativus tractandus erat, valde enitendum fuit, ut remediis causticis plus minusve validioribus status morbosae superficiei mutaretur, destructiones prohiberentur firmaeque cicatrices contraherentur. Quae ut fierent remotis crustis iterum ac saepius haecce remedia adhibebantur: oleum animale Dippelii praesertim in lupo exulcerativo et exfoliativo, quo tamen praesente solum tempore valetudo aegroti in melius inclinabatur; porro argentum nitricum, kali causticum, butyrum antimonii minus probantur, quam pulvis Dupuytreni i. e. calomelanos 99 part. et acidi arsenic. 1—2 part., et pulvis

Cosmius (frère Côme), quem cum dolore coniunctum semper fere erysipelas sequitur. Liquor hydrargyri oyydati nitrici (liquor Bellostii) multum doloris affere solet; pauci denique ad hunc morbum curandum ferrum candens adhiberi voluerunt. His remediis licet nostra quoque aetate utamur, tamen experientia docti haud ignoramus nullum illorum adeo esse certum, ut in unoquoque casu quatenus res sit evasura pro certo dicere queamus. Attamen ad sanandum lupum maculosum nunquam argentum nitricum fusum adhibebimus. In lupo exfoliativo praeter munditiem observandam tenuis zinci sulfurici solutio commendari potest, qua loci morbo infecti pluries per diem lavantur.

Parvis nodulis liquorem Ballostii optimum esse remedium causticum satis liquet; maioribus tamen validiora admovenda erunt: argentum nitricum fusum vel kali causticum in eos immissum ultro citroque movetur, donec textura morbo correpta funditus exusta appareat. Ubi vero ea remedia caustica parum sufficiunt, etiam ferro candente commode uteris. Bardeleben ceteris remediis postpositis cultrum potissimum chirurgicum collaudavit et experientia usuque nisus his fere verbis disseruit: Cultro partes morbosae a partibus sanis accuratius atque certius separari possunt, res quae maxime impedit quominus aeger in eundem morbum recidat. Adhuc accedit, quod crebrae vasorum obliterationes, quae excisiones partium plerumque sequuntur, ut verbi causa congestiones, erysipelas aliquanto minuuntur. Praeterea cultro adhibito aegroti facies multo minus deformari solet simulque medici auctoritas apud aegros plurimum valebit. Vulnera texturae luposae citissime coalescunt tenuesque cicatrices contrahunt. Canales in textura luposa acu effecti post decimam horam suppurare solent; quae suppuratio canalium et marginum vulneris ne exoriatur neve cicatrices spissiores contrahantur, fila vel acus quam primum amoveantur necesse est. Quem ad finem collodium valde

commendandum se praebuit. Suppuratio vulnerum cito orta in lupo hypertrophico, ubi singulae partes extirpantur, maximo detrimento esse solet, cum illae cutis partes perquam duras se ostendant. Exstirpationes etiam in levissima lupi forma semper usque ad panniculum vel ad perichondrium fieri oportet.

Hoppe qui ad curationem uniuscuiusque lupi cultro utitur, sanationem operativam utilissimam constitutionis mutationem sequi affirmat; praeterea lupus in naso interiore adhuc existens post rhinoplasticam subsistere dicitur.

Verum tamen valde cavendum est ne quis voluntati rogantium, ut loci lupo affecti arte et operatione restituantur, morem gerat priusquam lupus prorsus sanatus sit perque longum temporis spatium evanuerit. „Nam operatione prius instituta verendum erit ne nova quoque faciei pars recurrente morbo deleatur neve materia illa pretiosissima, quam operationem plasticam adhibueris, frustra perdatur.

VITA.

Natus sum ***Hermannus Heymann*** Bonnae anno huius saeculi XXXVI. die XVIII mensis Maii, patre ***Rafaelo***, matre ***Carolina,*** e gente ***Michel***, quos adhuc viyos pio animo veneror. Fidei addictus sum hebraicae. Primis litterarum elementis imbutus Gymnasium Bonnense adii et anno LVI maturitatis testimonio munitus hanc almam litterarum universitatem Rhenanam adii, ubi a rectore magnifico ***Plücker*** civium academicorum numero, a decano spectatissimo ***Kilian*** medicorum ordini adscriptus sum. Aestate LVIII tentamen philosophorum superavi; per quadriennium hi viri mihi praeceptores erant: ***Albers, G. Bischof, Busch, van Calker, Caspary, Deiters, Helmholtz, Hohe, Kilian, Knoodt, Landolt, Monnard, Naumann, Nöggerath, Pflüger, Plücker, Schaaffhausen, Treviranus, Troschel, M. I. Weber, Wutzer.***

Quibus omnibus viris de me meritissimis imprimis clinicis meis praeceptoribus, ***Busch, Naumann, Kilian,*** gratias ago quam maximas semperque habebo.

THESES.

1. *In reponendis luxationibus chloroformium adhibendium est.*
2. *Nullam est specificum signum tumorum benignitatis aut malignitatis.*
3. *Osse fracto quam celerrime fasciam gypseam imponere maxime est commendandum.*
4. *In typho abdominali incipiente methodus abortiva maxime commendenda.*
5. *Placenta retenta methodus exspectativa est reiicienda.*